



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Suadet Colegium Germanicum Romæ fundandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

1573.
Magnifici Canisij a Grego-
rio XIII.

Enno iussu le-
gationem obit.

Et in Urbem
venit.

Suadet Colle-
gium Germa-
nicum Roma
fundandum:

iterum Pontificis iussu. Quippe anno 1573. Gre-
gorius XIII. qui priore anno Pontifici Pio quin-
to successerat, suscepta omni ope subleuanda Ger-
mania, perbenignè scripsit velle se desiderij sui
adiutorem Canisium esse, cuius sciret quantum
ad eam rem industria, & sapientia valeret: iussitq;
literis complecti, quæ in eum vsus idonea iudi-
icaret. Iamq; bonam lucubrationem confecerat
Pater, cum literis nouis admonetur, vt ipsius Põ-
tificis nomine certa madata perferat ad Ferdinã-
dum Archiducem, ad Albertum Ducem Bauarũ,
ad Salisburgensem Archiepiscopũ: adhuc Hæreti-
corum voluminum, quæ ad refutandum oppor-
tuna essent, bonum numerum comparet, mit-
tatq; in Urbem, tum ipsemet accedat. Coram e-
nim melius de morbis earum regionum, curan-
dique ratione, quam per Commentarium actum
iri. Obita igitur legatione per Germaniam, quæ
iniuncta erat, ceterisq; perfunctus mandatis, pri-
mo vere Romam accessit. Hic inter cetera, quæ
sapienter pro Germaniæ religione in medium
contulit, autor fuit Pontifici, vt Collegia, & Con-
tubernia excitaret multæ Germanorum soboli
in pietate, ac literis educandæ: vnde velut è semi-
nariis

nariis docti, piiq; Sacerdotes, ac verbi diuini Prædicatores, & Pastores animarū educerentur. Cen-

*Et alia similia
in prouinciis.*

fuit autem non Romæ tantum, sed in Germania quoq; contubernia illa excitari oportere: in quibus multi libentius, vtpote non tam procul domo, aliquanto etiam germanico mori congruentius, quam ipsa in Vrbe possent institui. Atque his maximè consiliis effectū est, vt tam luculentum Romæ Collegium Germanorum, tamque multa per septentrionem eiusmodi propugnacula vindex Religionis acerrimus Gregorius Pōtifex collocarit. Habita sunt eodem tempore sublato iam ex humanis Francisco Borgia Societatis Comitiam Romæ ad sufficiendū Præpositum Generalem: suffectusq; est Euerardus Mercurianus.

Quibus Comitii tametsi cum suffragij iure Canisius non interfuit, custodiæ tamē præfuit Conclauis, vbi sunt habita: que non nisi spectatæ fidei viris procuratio demandatur. Porro sancta in Vrbe, cum tam multa sint prisce sanctitatis monumenta, tam etiam & multa, & præclara exercendæ priuatim, ac publicè siue religionis, siue misericordiæ instituta, ac domicilia, in his adeundis, cognoscendisque studiosè versabatur Canisius.

*Comitiorum
societatis custos
legitur.*

o

Nam